PETRI FRANCII
EPISTOLA SECUNDA
Ad
C. VALERIUM ACCINCTUM,
Vero nomine
JACOBUM PERIZONIUM,
Professorem Leidensem:


Qua ad cavillationes Ejus Grammaticas respondetur.





AMSTELODAMI
Typis THEODORI BOUTEMANNI.
cIɔ Iɔ cxcvi.





Candido & aequo Lectori
S. P. D.
PETRUS FRANCIUS.



Idimus priore epistola, uter nostrum sit *Scurra*: nunc, uter sit *Barbarus*, videamus. *Barbarum* me vocat *C. Valerius*. Agnosco hic iterum commune mihi meum cum Ovidio fatum; adeo

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum.

Nam, ut ille Tomitis, ita

Barbarus his ego sum, quia non intelligor illis,
Et rident stolidi verba Latina Getae.

Sed, ô bone, si *Barbare* sum locutus, *Latine* locutus sum, si fides Plauto, auctori non futili, qui & ipse locutus est *Barbare;* ita enim ille de se in suo testatur *Trinummo*.

Huic nomen Graece est Thesauro *fabulae:*
Philemo scripsit, Plautus vortit Barbare.

At heus tu, *Valeri*, citra jocum & lusum, cur tu me

Barbarum vocas ? ita certe, ante te, nemo. Verbis uteris parum Latinis, & *Barbaris*. Quod si vel maxime verum foret, & istiusmodi forte nonnulla, non satis Latina, mihi excidissent verba, idcirco *Barbarus* fueram appellandus, & omnia quae in hunc à me diem sunt scripta, *Barbara* sunt, & parum Latina? Vide, quid dicas, *Valeri*. Potiore sane jure *iniquum* ego te hominem dixero, & *malignum*, quam tu me *Barbarum*. Quanquam nec à Barbariae crimine sis liber omnino, mi *Valeri*, & locutiones istiusmodi habeas plurimas, quas parum ego Latinas dicerem, nec apud ullum bonum scriptorem repertum iri existimo; quod & suo tibi ostensurus fortasse sum loco. Sed de mea nunc Barbarie agitur, non de tua. Tu in Oratione mea novissima, & Oda illa mea in Namurcum nupera, multa dicis esse vocabula minime Latina, & plane *Barbara*: ego vero nego; & quod nego, probo; jamque argumentis, ut existimo, validis, id est bonorum scriptorum locis, & Veterum auctoritate, confirmare illud ipsum aggredior. Tu, quisquis haec leges, bone ac benevole Lector, litem hanc nostram examina, & candido ac sincero animo, nulloque partium studio, prout hujus aut illius aequior tibi ac probabilior caussa videbitur, hanc ipsam litem dijudica. Sed quaenam sunt illa ipsa, & quam multa, quam magna, quae in te reprehendit *Valerius*, vitia? Primo magnam eorum farraginem corraserat Heros noster, & ad viginti paene excreverat numerus. Deinde se ipse recolligens, & complura, ac propemodum omnia, non difficulter a me defendi posse animadvertens, ad quatuor, maxime ut vocat insignia, ea contraxit; reliquorum mihi gratiam fecit. Ego vero gratiam tibi maximam habeo, clementissime non minus, quam for-

tis.

tiſſime, *Valeri*; qui victoria tua tam clementer uſus es; qui, cum tam potens, tam *valens* ac *validus*, & fatali illo ferro *accinctus* eſſes, meque vel vivum comedere, vel, Leonis inſtar, diſcerpere, & in mille fruſta diſtrahere potuiſſes, ovis eſſe maluiſti, quam Leo. Quanquam & Leonis in te animum ſum expertus, generoſum illum ac plane heroïcum. nam

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quaecunque minor nobilitate fera eſt.

Sed audi, mi *Valeri*. Paucis te volo. Remitto tibi virtutem iſtam omnem heroïcam, *Valerianam*. Quicquid eſt in te virium, experire. Nec gratiam tuam volo, nec amicitiam.

— timeo Danaos & dona ferentes:

neque quicquam tuorum munerum volo attingere.

——— πυρὶ πάντα βέβαπται.

Quapropter ad cavillationes tuas ſingulas reſpondebo, ac ne vel minimam quidem praeteribo. Et, ut in Graecò illo amici tui carmine feceram, ita & in hiſce tuis facturus ſum, ac breves quaſdam notas (notulas volui dicere, nám notas conficere meum non eſt) ad tuos iſtos verſus (tuos enim jure appello, quos tu defendis, ut tuos) via, ut potero, compendiaria ſum conſcripturus. Ad rem itaque. Sed exſpecta paullulum. Sine me accingam, *Accincte*, & meis me armis inſtruam: cum inermi enim congredi indecorum *Accincto*. Heus, puer; porrige galeam & loricam: da haſtam & clypeum: ſuſpende enſem ex humeris. Bene habet. adeſdum, *Valeri*; explica aciem, & confer ſigna. Ac primum quidem ad minora illa, quorum mihi gratiam facis, me con-

vertam, & levis iſtos armaturae milites, *Velites* tuos, profligabo: deinde ad *Haſtatos*, *Principes*, ac *Triarios* veniam, ad *Veteranos* & *Argyraſpidas*, ſi Graece pugnare mavis, ac fortiſſimam illam tuam, ut putas, & invictam *Phalangem*. Paucis ergo, & ſine circuitione, ea quae objectat nobis *Valerius*, perpendamus, & ad ſingula breviter reſpondeamus.

1. *Hoc ex oleto prodiit divinitas Viſibilis in terris tua)* Reprehendit Ariſtarchus noſter vocem, ut videtur, *Divinitas:* item quod *viſibilem* illam appellaverim, & *in terris* apparuiſſe dixerim. Verba mea ſunt pagina, ut recte annotat (nam in hoc ſolo verus eſt, quod recte pagellarum numerum annotarit) Editionis majoris 33. *Quae non tam Reginam munificam, quam viſibilem quandam in terris, & oculis noſtris conſpicuam, exhibuit divinitatem.* Quid in his abſurdi, aut quid non pie ſatis ac religioſe dictum? Nunquid Reges & Principes, *viſibiles* quidam *in terris Dî?* ita ipſa eos vocat Scriptura. Nunquid à *Jove Reges?* affirmabit Senex Aſcraeus. Hinc, διοτρεφέας, Διὶ μῆτιν ἀτάλαντυς, ἰσοθέυς, ſuos vocat Reges Homerus: nec aliter ullus unquam Veterum eſt locutus. Haec autem in eandem ego ſententiam hiſce expreſſeram verbis: *Si ad Dei imaginem factus eſt homo; ſi a Deo Reges; ſi potiores in Deo virtutes immenſa ejus bonitas ac poteſtas; quam pulchre Dei imaginem & verbis oſtendit & factis; quam ſancte vicem ſuſtinuit; quam prope virtutes expreſſit?* & quae ſequuntur. Perpende, quaeſo Lector, totum hunc locum, & tuis oculis vide, recténe Reginam an ſecus, *viſibilem quandam in terris exhibuiſſe* dixerim *divinitatem.* Quomodo autem debui appellare? *Deam* aut *Divam?* An pium id magis fuiſſet, aut Chriſtianum? puto

puto mitiore me usum vocabulo, & invidiae minus obnoxio, ac prudenter omnino cavisse, ne aut Gentilis viderer aut Pontificius. Adde quod, si quid duri in isto etiamnum superesset vocabulo, per τὸ *quandam*, ut & per τὰ *oculis conspicuam*, temperarim. *Visibilem quandam in terris, & oculis nostris conspicuam exhibuit divinitatem.* At *divinitas* Latinum non est. Id certe non putabat Tullius, optimus ille auctor Latinitatis. Is lib. ii. de Divinatione, cap. 11. ita loquitur. *Ex divinitate animos haustos, aut acceptos; aut libatos habemus.* Rursum. 1, de Nat. Deor. 13. *Aristoteles menti tribuit omnem divinitatem*, & in loco huic nostro simillimo, 11. de Oratore 20. *Quorum alterum divinitatis mihi cujusdam videtur, alterum humanitatis.* Id est, *Dei potius, quam hominis.* Vides, Lector, τὸ *divinitatem* de *Deo* dici, de *mente*, de *homine*. in quo ultimo loco Tullius *divinitatis* vocabulo potius uti voluisse videtur, quam *Dei*, quod duriusculum esse credebat. Addit idem praeterea, *cujusdam divinitatis*, ut ego *quandam divinitatem* dixi. Quod temperamentum, si laudandum in homine Ethnico, vituperandum erit in Christiano? Sed minora ista non curat *Valerius*, dum *Latine* loquatur, non *Barbare*. ego vero dicere malui *divinitatem*, quam *Deam*, *Divam*, aut *Numen*, etiamsi minus Latinum esset. Quanquam vocem ego istam bonam ac Latinam putem. Si non satisfaciunt ista Tullii loca, videatur Livius lib. 1. cap. 15. *Haec ferme, Romulo regnante, domi militiaeque gesta: quorum nil absonum divinae originis, divinitatisque post mortem creditae fuit.* dicit Romulum *divinitatem creditam* post mortem, id est, *Deum, Divum, Numen* factum, & in Deorum numerum relatum fuisse: ita certe à P. R. creditum esse. Quam autem *Latine* idem

meam

meam iſtam vocaverit *divinitatem*, (*divinitas Tua*) cum majuſcula etiam littera, ne quis aliam putet, quam *meam*, viderit ipſe Valerius. An *mea* eſt *divinitas* iſta? meum eſt vocabulum, non *mea divinitas*. Sed nolo argutari, & *Valerio* iſtam omnem cedo ſubtilitatem, ne, dum de *Valerio* loquor, ipſe fiam *Valerius*; adeo peſtilens iſte morbus eſt criticus, & contagioſus. Dicit porro *Valerius*, *meam* iſtam *divinitatem* (ita enim nunc loqui cum illo libet) *hoc ex oleto prodiiſſe*: ex hac *merda*, ex hoc *olido ſtercore*: ex ſordibus ſcilicet *Petri Lombardi*, & *Ortwini Gratii*; quorum ego libros nunquam legi, nunquam vidi. Tu autem vide, Lector, quàm honeſti rationem habeat noſter *Valerius*, qui non cum homine aliquo plebejo, ſed cum *Regina*, & *tam illuſtri Regina*, cum ipſa etiam *divinitate*, ſuum illud *oletum* audet conjungere, & proximo illi loco, ac contiguo, ponere; immo hanc ipſam *divinitatem ex hoc oleto prodiiſſe*, affirmare non dubitat. Pia ſane verba, & Chriſtiano homine digna! At τὸ *viſibilis* Latinum non eſt. Errat itaque Plinius, dum illo utitur, & cum illo ego. is lib. XI cap. 37, ita loquitur: *oculi, ceu vaſa quaedam, viſibilem animi partem accipiunt, atque transmittunt*. Uti autem animi partem *viſibilem* Plinius, ita Deum *inviſibilem* vocat Lactantius, Cicero ille Chriſtianus, ut non immerito eſt appellatus, lib. Inſtitution. VII cap. 9. *Quod ſi & Deus eſt incorporalis, & inviſibilis, & aeternus; ergo non idcirco interire animam credibile eſt, quia non videtur*.

II. *Deeſſe dum narras ſuis Regis Gulielmi ſaepe perſonam inquinas Ipſam)* duo hoc loco carpit Cenſor, τὸ *deeſſe* & τὸ *perſonam*. de priore prius. Dicit me affir-

firmare *Regem ſuis defuisſe*, & invidiam mihi conciliat iſtis verbis; eamque auget, cum *ſaepe* id a me factum dicit. Primùm, ſemel tantum iſta expreſſione ſum uſus, non *ſaepe*, ut contendit Calumniator. Deinde, quis ex iſtis id verbis colligat? dico *Regis perſonam illis defuisſe.* an hoc eſt, *ipſum Regem?* ajo & nego. ludit in voce *deesſe* ſuaviludius noſter, & in malam illud partem pertrahere ſtudet, quaſi ego dixerim Regem (quod cum honore appello vocabulum) aut ſuis, aut officio ſuo defuiſſe. Vide malignitatem impudentiſſimi hominis. Dico *perſonam Regis defuisſe* (eo abſente ſcilicet, & vere: quî enim adeſſet, cum aberat?) non Regem, non curam ejus aut amorem, quae omnia per Regis abſentiam ſupplebat Regina. Illa vicem Regis obibat, illa Rex erat; ſic ut corpore ſolo abeſſet, animo vero & officio, & omni ſuo affectu, adeſſet Rex Auguſtiſſimus; nec quicquam deſideraretur, niſi ſola *Regis perſona.* aut ego prorſus caecutio; aut haec recta ſunt. Pretium operae eſt ipſa verba inſpicere. Ea pag. 15. ita ſe habent: *ſic ut Regis abſentiam vix ſentirent Britanni, neque quicquam iis deesſet, praeter ipſam Regis perſonam.* Quis malum iſtum ſenſum ex hiſce verbis eliciat, quem elicuit inde *Valerius?* nemo, niſi *Valerio* ſimilis, nemo. Loquor, ut vides Lector, de *abſentia Regis*, eam autem *non ſenſisſe Britannos* dico, *neque quicquam iis defuisſe, praeter ipſam Regis perſonam.* at τὸ *deesſe* illud involvit. nego. praeſertim, ſi cum *perſona* conjungatur. *perſonam Regis* dico illis defuiſſe, hoc eſt, Regem ipſum abſentem fuiſſe, nihil tamen Britannis defuiſſe, cum in Regina Regis curam & amorem haberent praeſentem. Illud vero *deesſe*, bono & Latino ſenſu, idem eſt quod *abesſe*, ubi de perſonis ſermo eſt. Ovid. xii., Metam. principio.

 De

Defuit officio Paridis praesentia tristi.

Loquitur de Aesaco, cui Cenotaphium erigi jusserat Priamus; cui exequias ibant reliqui fratres, excepto Paride, qui absens erat, *cujus* unius *praesentia deerat tristi* isti *officio* funebri. An ibi dicit Ovidius Paridem defuisse Aesaco, Priamo, fratribus, neque quicquam eos curasse? dicit, *Paridis praesentiam defuisse*, id est *eum praesentem non fuisse*. Sed hoc Poëticum forte. Quid illud Ciceronis ad Quint. Fratr. lib. II. ep. 5. *Huic convivio, puer optimus, Quintus, tuus meusque, defuit*. quid aliud illud, quam *abfuit? praesens non fuit?*

III. *Personam*) Reprehendit vocem *Personae* bonus Valerius, quasi quae non hominem ipsum, sed ejus dignitatem respiciat aut conditionem; unde *imponere personam, sustinere personam*; quomodo dici posset, *Eloquentiae Professoris personam sustinere Valerium*; quo modo dixit Cicero secundo de Oratore, *tres se personas sustinere, suam, adversarii, judicis*: quasi item *Tragicam* tantum *larvam* notaret *persona*; quo sensu Phaedrus;

Personam tragicam forte vulpes viderat.
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.

De Valerio dictum putes; adeo affine exemplum est. Item in illo P. Syri:

Haeredis fletus sub persona risus est.

utramque istam vocis hujus significationem uti agnosco, ita & alteram veram puto. Tantum autem abest ut *persona* non diceretur de homine ipso, ut haec sit simplex, nativa, ac propria significatio, reliquae vero impropriae ac figuratae. Illae enim *personae*, Tragicae, Comicae, ita appellantur proprie, quod ad illarum *personarum*, illorum inquam hominum, formam & simulacrum sint

con-

confectae & adornatae. Unde Graeci non male πρόσωπα istas vocant, & προσωπεῖα: quomodo a προσώπη (quod idem ac πρόσωπον & προσωπὶς) transmutatione litterarum non inusitata illam ipsam vocem *personae* derivatam ac desumptam nonnulli existimant. Hinc *Personati* dicebantur histriones, & *personae*, quoniam *personas* illas, quas referebant, (Achillem puta aut Agamemnonem) repraesentabant, & illorum ipsorum hominum characteres, formam, personam, id est homines illos ipsos, ad vivum & quam proxime poterant, spectatoribus exhibebant. Sueton. Neron. 21. *Tragoedias cantavit personatus; Heroum, Deorumque, item Heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & faeminae, prout quamque diligeret.* Hinc modi isti loquendi *personam gerere*, *personam imponere*, & similes locutiones, ab Actorum *personis*, & re theatrali desumptae. Sic ut vox *persona* non male a me hoc loco, sed recte, & propria sua significatione sit posita, & in naturali sua sede collocata. adeo ut ineptus sit omnino *Valerius*, qui illud carpit, & censoria sua virgula dignum putat. Haec ut sufficere posse existimem unicuique homini sano; non suffectura tamen credo *Valerio*, qui id Veterum auctoritate confirmatum volet. Et recte sane, ut enim *sine lege* Jurisconsulti, ita nos sine probatis & classicis istis auctoribus *erubescimus loqui*. Ita ergo Nepos Cornelius Epaminonda in principio: *Scimus Musicen nostris moribus abesse a Principis persona.* Idem Pelopida cap. 4. *Haec fuit altera Persona Thebis, sed tamen ita secunda, ut proxima esset Epaminondae.* Sed si haec scenam respicere videntur, & primarum ac secundarum actores, vide quid dicat Valerius Maximus; (tuus ille Valerius, *Valeri*, id est, quem tot annos evulgaturum te promisisti;

 quod

quod tamen olim fiet fortasse) Is ergo Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. *Judicii illius* &c. *in quo de jure triumphandi inter clarissimas personas & actum & excussum est*. Clarius etiamnum Cicero III. Famil. 5: *neque obscuris personis, nec parvis in caussis res agetur*. Distinguit caussas à personis, quarum sunt caussae. Idem apertius multo in Oratione pro Archia, non longe a principio: *Et in ejusmodi persona, quae, propter otium ac studium, minime in judiciis periculisque tractata est*. Quis est ista persona, nisi Archias? Et propius etiam ad rem nostram Epitomator Trogi lib. I. cap. 9 *Quae res eo occultior fuit, quod apud Persas persona Regis sub specie majestatis occulitur*. Quis est ista *Regis persona?* alius, credo, a Rege ipso. Idem XI, 7. *Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, Regem discordiis opus esse. Iterato quaerentibus de persona Regis, jubentur eum Regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent*. Vides hic *Regem*, & *personam Regis*. Prius illud respicit imperium Regium: secundum, certam aliquam personam, certum Regem, nomine suo, aut signis, pro nomine positis, designatum. Iterum lib. XII. cap. 6, de Alexandro, post Clitum jam interfectum: *Postquam satiatus caede animus conquievit, & in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti coepit*. & XX, 4: *Decreto modum nuptiarum statuunt*, (Carthaginenses sc.) *idque observari non ab uno, sed ab universis jubent; ne persona designata*, (Hanno sc.) *non vitia correcta viderentur*. Et rursum lib. XXXII. 2, de Demetrio, Philippi Reg. Maced. filio: *Indignante Philippo, plus momenti apud Senatum* (Roman. scil. obses enim fuerat Romae) *personam*

nam

nam filii, quam auctoritatem Patris, ac dignitatem Regiae majestatis habuisse. Patet ex adductis jam locis *Valerii* nostri in censendo ac reprehendendo dexteritas. Patebit ejusdem integritas, & benevolus erga me animus, ubi verba illa, quae subjungit, attentiore paullulum oculo perlustraveris mecum, Lector. ait, dum *nihil defuisse Britannis* dico, *praeter ipsam Regis personam*, istis me verbis *personam Regis inquinasse.* Quid absurdum magis aut invidiosum ab ullo, quaeso, mortalium dici potest? Vides *malam mentem, malum animum*, ἢ κακόν τι θηρίον in istius hominis corpore occultari. Illud denique *ipsam*, quod praeponitur in mea Oratione, & cum *deesse* conjungi debet, ille postposuit, & cum τῷ *inquinas* junxit: *personam inquinas ipsam.* Ex quo insignis rursum malitia hominis fit manifesta. Adeo nihil, quod ad invidiam mihi concitandam faciat, praetermittit. Notat praeterea Censor, me pag. 12, eodem isto *Personae* vocabulo usum fuisse, & bis idem vitium commisisse. Non diffiteor, bis me peccasse, si peccatum est. sed nullum in eo agnosco peccatum; & recte omnino uterque se habet locus. Verba sunt: *Quo matrimonio non illae solum, quae id contraxere, personae, sed & utraeque gentes ac nationes*, &c. quo alio illud exprimi modo, quo magis commodo certe, aut debuit, quaeso, aut potuit? *illi ipsi*, dixisse debueras, dicet *Valerius*, Non video cur illud melius: nec idem dicendum semper uno & eodem modo. Sed de his jam satis: & manum de tabula.

IV. *Hoc humilitatem denique illam protulit* &c.) vox *humilitas* reprehenditur à Censore. an recte id fecerit ac legitime, videamus. Primò Latinum vocabulum est. Cic. v. Tuscul. 24. *sidera inter se altitudine & humilitate.*

te distantia. Idem 11. de Divinat. 47. *Docet ratio Mathematicorum, quanta humilitate Luna feratur, terram prope contingens.* Sed Latinis isto sensu non accipitur vox ista, quo tu accipis. Scio, & defendo tamen istud meum. *Humilitas* Latinis dicitur, vel de conditione alicujus, quomodo quis dicitur, *humili loco*, *humili genere* natus. Sic *sublimes* & *humiles*; *humiles* & *potentes* opponit Phaedrus. Vel refertur ad animum, & abjecti animi hominem significat, ac parum firmi. Ita Terent. *Prout res sese dant, ita magni atque humiles sumus.* Altius vero assurgunt Christiani, & *humilitatem* virtutem illam Christianam appellant, qua homo se abjicit, ac prosternit coram Deo, & omnia ad Deum refert, illi se ac sua debere se confitetur; qua virtute nihil Deo acceptius. At non ita loquitur Cicero, nec boni scriptores. Quid tum? ita locuti fuissent, si Christiani fuissent: ita loquitur Hieronymus, Augustinus, Bernardus, Lactantius, & agmen illud reliquum Patrum Latinorum. an de Christiana Principe, de virtute Christiana, Christiano mihi uti non licet vocabulo? Quis iste est rigor? quae ista injuria? Ab eo non dependet castitas Latini sermonis: neque tam anxii in rebus istis fuerunt, *Erasmus*, *Muretus*, alii, optimi sane scriptores, & meliores longe *Valerio*. Quin & deridet homines istos popularis ille noster in Dialogo suo Ciceroniano. Quin & ipse Cicero, si religionis nostrae fuisset, *Christi*, *Christiani*, *Apostoli* nomen, & reliqua ista in Christiana Ecclesia usitata vocabula, usurpare non dubitasset. Nec dubium, quin id facturus fuisset, cum *novis rebus nova imponenda esse vocabula* ipse praecipiat. Cum ergo virtutem istam nec agnoverint, nec agnoscere omnino valuerint Ethnici, non mirum est illud eos ignorasse vocabulum,

aut eo ſenſu, quo nos accipimus, non accepiſſe. Recte ergo Latina Eccleſia *humilitatem* vocat virtutem iſtam, quam Graeci ταπείνωσιν & ταπεινοφροσύνην appellant. Sic exultat gaudio, & gratias agit Deo, Beata Virgo, ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ, *quia reſpexit humilitatem ancillae ſuae*, ut recte vetus Interpres. ἡ ταπείνωσις vero Graeca non magis vox eſt, veteribus illis Graecis extra Eccleſiam cognita; quam *humilitas*, Latina. Utraque tamen recte utimur Chriſtiani; nec alio rectiore quis uti vocabulo poſſet. Reprehendere tamen eam audet *Valerius*, & multo ſe auctoribus iſtis *Valentiorem* caeteris putat. Jam autem, praeter illa quae diximus, *humilitatem* bonum ajo eſſe vocabulum, & bene Latinum, quae non ab animi imbecillitate proficiſcitur, quo ſenſu accipiunt Latini τὸ *humile*, ut patet ex loco Terentii, ſed modeſtia animi, ſe ac vitia ſua contemplantis, majeſtatem divinam conſiderantis, implorantis, quomodo accipiunt Chriſtiani. Omnem vero ſuperat impudentiam & inſolentiam, ne turpitudinem dicam & impietatem, quod iſto vocabulo, tam innocente, tam conveniente, *notatam à me* dicit Reginam, & quidem *turpiter*, ne quid ipſe turpitudinis praetermittat. Verba mea ſunt pag, 31. *Cujus certabat ac litigabat cum Majeſtate humilitas, cum ſeveritate clementia, cum potentia bonitas*; & quae ſequuntur, longior enim eſt locus, quam ut totus deſcribi poſſit. Conferat, quaeſo, Lector praecedentia cum ſequentibus, nec quicquam niſi ſanctum & ſobrium, ac ne minima quidem reprehenſione dignum inveniet. Quae autem in adductis a me verbis eſt *nota? quae turpitudo? Majeſtati* oppono *humilitatem*, Chriſtianam virtutem, virtuti Regiae; & veram Reginae laudem aſſigno, ac propriam. Nihil enim

inter

inter tot ac tantas virtutes praeclarius habuit, aut commendandum magis, quam quod in tanta fortuna posita, privatorum sese hominum conditioni adaequarit, immo infra eam sese depresserit, atque abjecerit, cum se coram Deo prosterneret, & , ut hoc ipso utar vocabulo, humiliaret. Quid dignius, aut convenientius, quid magis à me dici proprie potuit? miror his verbis hominem uti ausum fuisse, quasi turpi aliqua & infami nota (quod cum reverentia dixerim) sanctissimam animam aspersissem. Sed nihil pensi habet *Valerius*, neque Reges aut Reginas pluris facit quam privatos, nec omnino, quid dicat, cogitat, dum aliquam suo mihi adversario invidiam creet. Ne autem quicquam mali de hac ipsa dixisse videretur Regina, vocat illam *pectus erectae indolis*, & *mentis maximae Heroïnam.* Quis hoc unquam negavit? Quis eam illi laudem detraxit? Haec ipsa me defendit Oratio, quae nihil aliud in se complectitur, quam virtutes ejus Heroicas & Christianas. Fuerunt in ea utraeque istae virtutes, & summae fuerunt, ac maximae: sed confundi tamen illae non debent, ut hic facit *Valerius*. *Mens* illa *maxima*, & *erecta* illa *indoles*, quem locum habent, respectu Dei? Humiles ille cultores requirit: fractas & dejectas mentes: superbos vero odit & arrogantes. humilis erat Regina, neque *magnam* illam & *erectam indolem* Deo unquam commendavit suo. Sed virtus ista non placet Heroï nostro, qui nihil unquam humile spirat aut ταπεινὸν, & coelo ipsi se opponeret potius, quam ut ullam in se humilitatem agnosceret.

V. *Sed Gratianis illud est opus bonum.*) Quid intelligo per τὸ *illud?* quid aliud nisi illam, quam modo irriserat, *humilitatem*? *illud* ergo, id est *humilitas illa*, *opus est bonum Gratianis*, hoc est mihi, *morioni*, ut ipse

mox

mox explicat, ac similibus mei. Ergo non *Valerio*, is enim nec *Gratius* est, nec *Gratianus*. Vides altùm spirare *Valerium*, Lector, ut modo dixeram, & Gigantem plane esse, ac θεομάχον. Quid? qui *humilitatem*, virtutem Christianorum palmariam, *bonum* esse *opus*, negat, nunquid Deum quasi oppugnat, & Gigantum veluti more θεομαχεῖ? Ego vero gaudeo aliam mihi mentem esse, &, vel te teste, *opus illud* mihi *bonum* videri. ita sane judico, sentio, nec *bonum* solummodo *opus illud*, sed longe optimum ac praestantissimum autumo. Operae autem pretium est, amice Lector, ea ipsa Orationis meae verba inspicere. Illa autem pag. 29. ita sonant: *Veram autem non in ore, sed in animo; non in subtilibus disputatiunculis, sed in bonis operibus; non in praeceptorum cognitione, sed eorundem observatione, & ipso rerum actu, consistere pietatem credebat.* Quid in his non pie dictum? non vere? quid melius quisquam Theologus? quid rei ac Religioni Christianae convenientius quisquam dixisset mortalium? Fundamentum est Christianae religionis, pietatem colere, exercere. Hoc animo, hoc sensu erat Regina, quae non tam scientia & cognitione, quanquam & illa, pietatem ac religionem, quam ipso rerum actu, & *bonis operibus*, metiebatur. Quid autem carpit, quid deridet in verbis istis *Valerius*? an quod *bona opera* dixerim? quomodo igitur dicendum fuit? Verbum est Ecclesiasticum, virtus est Christiana, de Christiana locutus sum Principe. quid in his dignum usu, aut reprehensione? at non reperiuntur haec verba isto quidem apud Tullium sensu. Repetenda sunt ἀπὸ κοινοῦ, quae dixi modo. quo vero pacto vocabulum istud novisse potuerunt Gentiles, qui rem ignorarunt? adeo autem rem ipsam odio habet *Valerius*, ut ne vocabulum quidem ferre possit.

VI. *Nostris in Provinciis*) quid in his carpit Valerius? quod has regiones *Provincias* appellatim? nunquid ita vocantur? nunquid hoc illis nomen impositum est; & ab ipsis Ordinibus, illustribus ac praepotentibus harum Provinciarum Rectoribus, isto sunt nomine appellatae? Scio quid apud Romanos Provinciae fuerint, nec opus ut ex *litteris* suis *reconditis* doceat me illud *Valerius*. Scio item verba usu valere, & pro conditione ac natura temporum ac populorum, dignitatum & honorum nomina immutari. Multae nunc sunt dignitates, quae vix Latinis satis vocabulis appellari possunt. Non in his sita est salus Graeciae, nec mundities linguae Latinae.

Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Quid, quod omnes ita Recentiores has appellare Provincias solent?

VII. *Manifestet*) an & hoc parum Latinum? ita credo. *manifestum faciet*, *manifestum reddet*, dici oportuit. non culpo. Sed cur tu illud alterum? ita sane Ovidius XIII. Met.

Ipse nitor Galeae claro radiantis ab auro
Insidias prodet, manifestabitque latentem.

Vides idem verbum, & in eodem *Modo* ac *Tempore*. Sed Poëta fuit Ovidius, & melius id novit non Poëta *Valerius*. Audi ergo Justinum. Is lib. XI. cap. 3, ita loquitur de Thebanis: *Quamobrem odium eos omnium populorum esse: id vel ex eo manifestari, quod jurejurando se omnes obstrinxerint, ut victis Persis Thebas diruerent.*

VIII. *Sic ut nihil, sic ut nihil* &c.) Quas hic argutias captet *Valerius*, *Valerius* sim, si intelligo. an *sic ut* Latinum

ctifum non est? an *ita ut*, melius fuisset? Consule *reconditas litteras* tuas, &

Eripe me his, Invicte, malis.

Consideret Lector totum locum pag. 25. & nihil, puto, inveniet, quod aut bonam mentem, aut aurem, etiam superbissimam, offendere cujusquam posset. Multa autem recte se habent, si suo loco legantur; si vero inde avellantur, aut separentur, aliam plane formam induunt, & ridicula fiunt: ut his a *Valerio* factum est verbis.

IX. *Currentis anni*) Insolens hoc ac plane novum, si *annus* dicatur *currere*. Non tam insolens, quam, si testudo; quam si tui versus; qui, testudinis instar, languidos pedes trahunt, ac testudineo & anili gradu, *multum movent, nihil promovent*. Quid mirum, si *annus* dicatur *currere*, cum nihil sit velocius tempore?

Labitur occulte, fallitque volatilis aetas,
Et nihil est annis velocius.

Si recte itaque dicitur *annus vertens, annus volvens*, cur minus recte dicitur, *annus currens?*

——— *Volventibus annis*, dixit Virgilius.
——— περιτελλομένων ἐνιαυτῶν, dixit Homerus.

Saeculum currere dixit Florus, Bello Achaico: *Quasi saeculum illud eversionibus urbium curreret. Mobiles* sane *annos* dixit Horatius. moveri ergo possunt. Idem *venire* eos dicit, *ire, redire, recedere*; quod si pedibus suis faciunt; *eunt* certe, & fortasse *currunt*. *Fugaces* idem illos appellat: qui si pedibus hinc aufugiunt, sane *currunt*; si alis, *volant*; quod multo etiamnum velocius. Mire me torquet iste *Valerius*, & nescio quo pacto ex hoc me extricaturus sim Labyrintho, ubi me constrictum tenet, & implicat

— *indeprensus & irremeabilis error.*

Videbo tamen quid possim, & ad *annum currentem* recurro. ὅρμα. Agam Syllogistice cum Valerio, & suis eum aggrediar artibus; ita enim solet in *Disputationibus* suis *Historicis* Heros noster. *Cum bona* igitur *venia Clarissimi Domini Valerii, & in gratiam doctissimi Domini Accincti*, syllogismum unum aut alterum proponam in *Barbara*. Sic itaque argumentor:

Si Pars anni currit, ergo & annus:
Atqui pars anni currit.
Ergo.

Nego minorem. ego probo.

Si pars anni recurrit, ergo & currit:
Atqui pars anni recurrit:
Ergo.

Nego rursus minorem. probo; ita enim Horat. IV. Oda 7.

Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.

Vides brumam *recurrere*? Bruma autem pars anni. Quid respondes, *Valeri*? distinguo. *recurrere* concedo, *currere* nego. ego vero sic insto.

Si aetas currit, ergo & bruma;
Atqui aetas currit;
Ergo.

Nego iterum minorem. probo iterum. Vid. Horat. lib. II. od 5.

Jam te sequetur: currit enim ferox
Aetas; & illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos.

Quid dicit dominus Defendens? distinguo rursus. *Currit* quidem *aetas*, sed non *currit annus*. Quid est aetas,

nisi

nisi tempus, nisi anni? tu annos *currere* non putas? ego *volare* eos credebam, non *currere*. Quin ad finem sui *curriculi* hic ipse pervenit annus, & jam *currere* desinit, immo rursum *currere* incipit. *Currat* an *volet*, non curo. Quis unquam ita locutus est? Quis unquam ita nugatus est? si *recurrunt* anni, ergo & *currunt*, quî enim possent *recurrere*? atque *recurrere* eos affirmat Horatius in nobili illa ad Augustum Epistola, qui coram tanto certe Principe non ausus fuisset mentiri:

Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter.

Vides, *Valeri*, nihil tibi prodesse Sophisticam tuam, & me quoque ad *artes* tuas istas *reconditas* penetrasse? Quid autem est ἐνιαυτὲς, nisi εἰς ἑαυτὸν recurrens, ac revertens χρόνος, quando

— *in se sua per vestigia volvitur annus?*

unde per serpentem, caudam ore complexum, cum expresserunt Aegyptii.

X. *Fortiori foedere)* Hic rursum argutatur *Valerius*, & magno conatu magnas nugas agit. *foedus firmum* dixit Cicero; *foedus certum* Virgilius; mihi vero *foedus forte* dicere non licebit? praesertim cum *arctiore vinculo* subsequatur? *fortes* sunt *homines*, inquit *Valerius*, uti Ego: *fortia animalia* sunt, non *foedera*. Parum *fortis* ac *validus* mihi videtur *Valerius*, qui infirmis istis ac parum *validis* nititur argumentis. Silere praestaret, quam nihil dicere.

XI. *Post precatiunculam)* Quid vero hic culpandum invenit Censor? an quod *precatiunculam* scripserim? an quod eam conceperim? utrumque credo. *Precationem*

 ante

ante Orationem habitam, quoniam brevicula eſſet, & non tam precatio, quam pium quoddam votum, *precatiunculam* appellavi. Quid in eo peccatum? aut quid non analogum? Eam autem praemittere me debere exiſtimavi, quoniam ipſe eam a me flagitare videbatur locus. Templum erat, non auditorium: ſuggeſtus Eccleſiaſticus, non Academicus. Docent nos autem Magiſtri, & ſine Magiſtris Ratio, ut rerum ac perſonarum, ita loci ac temporis rationem nos habere debere. Id autem tum a me factum, & recte factum, exiſtimo. Eam enim res iſta audientiam excitavit; tam altum ac profundum ſilentium: ut in tanto hominum numero, quantus tum illò confluxerat, nullum omnino murmur, ac ne minimus quidem ſtrepitus audiretur. Quod autem in eo peccatum? an turpe eſt, Deum orare Oratorem? an ſolis id conceſſum Theologis? an Chriſtiani non ſunt homines caeteri? an obſervandi non ſunt καιροὶ καὶ χρόνοι, & ſinguli articuli temporum, in quibus plurimum ſaepe ad perſuadendum momenti eſt? an id in Templo fieri non oportet? ubi fieri potuit convenientius? ubi magis id fieri debuit, quam in eo ipſo, ubi factum eſt, loco? Sed non videtur impenſe amare iſta *Valerius*. Quicquid ſit, judicet ὁ δικαστής, ὁ καρδιογνώστης. Ego certe bono animo feci, nec feciſſe me poenitet. Scio nullam in locis ſanctimoniam eſſe, aliquam tamen iis deberi reverentiam puto; nec idem eſſe ſacrum, quod profanum, exiſtimo. Faciant, quod volent, alii; quod ſe facere debere exiſtimabunt; ego ita fieri credidi oportere. At tu, mi homo, cur in re ſeria ludis? cur impuriſſimi hominis nomen cum hac ſanctiſſima voce conjungis? neque in me tantum, ſed in ipſam etiam Religionem injurius es? quod ſi ullam pietatis umbram haberes, non iſto

certe

certe ageres modo, neque saltatoris nequissimi nomen cum precibus ac supplicationibus, & reverendis istis vocabulis copulares. An tu me Hypocritam hominem, (nam Histriones Hypocritae) an me similem tui putas, qui fictam esse meam ac mimicam, non orationem tantum & eloquentiam, sed religionem etiam omnem, ac pietatem, pudenda affirmare calumnia non erubescis?

XII. *Adeste dii*) In Elegia sua prima verba haec alio imprimi charactere jussit *Valerius*, ut & in autographo scriptum erat. Quod, quid sibi velit, nescio. An deridet *solitum* Poetarum *morem*, quod Deos, quod Musas invocent? non me itaque, sed totam Antiquitatem derisui habet. An vero mihi non licet, quod & illis licuit, & aliis omnibus? Ego vero non *Deos*, ut hic falso dicit *Valerius*, sed *Musas*, more Poëtarum solemni, in Oda mea nupera invocavi, *Adeste Musae*, huc enim respicere videtur *Valerius*. Quid autem in eo culpat? quod in *Oda* id fecerim, cum *Epicis* id magis sit solenne, quam *Lyricis*? quasi vero id non fecisset Horatius?

Quem virum, aut Heroa, Lyra vel acri
Tibia sumes celebrare, Clio?

Item in illo altero:

Descende Coelo, & dic, age, tibia
Regina longum Calliope melos:

Et in suavissimo illo, quod Maroni adscribitur, & inter Catalecta Virgiliana, a Scaligero edita, legitur, de Laudibus Hortuli, simillimum plane in modum:

Adeste, Musae, maximi proles Jovis,
Laudes feracis praedicemus hortuli:

Aut quasi hanc Odam rectius, quam ab ista invocatione, auspicari potuissem, in qua est aliquid proprium ac peculiare, quod ignorat forte *Valerius*. Nam cum ante triennium hoc ipsum esset a Galliarum Rege oppidum occu-

occuparum, & ad exemplum ac formam Pindari nobiliſſimus Satyrarum ſcriptor Boillavius pulchram & elegantem Odam compoſuiſſet; qua uti ſui Regis laudes extollit, ita Auguſtiſſimi Britanniarum Regis virtutem, & noſtrae gentis fortitudinem bellicam, Satyrico ſuo ſale adſpergit; ego ex dignitate gentis noſtrae me facturum credidi, ſi, poſtquam in noſtram poteſtatem favore divini Numinis, & virtute bellica noſtri Imperatoris, urbs illa eadem jam veniſſet, nonnihil illi reponerem, & aliquam ipſe Odam conſcriberem. Hanc ergo, uti ad illius illam reſpexi ſemper, non meliore me auſpicari poſſe modo exiſtimavi, quam ſi meum inde exordium ſumerem, unde ille ſumpſerat ſuum. Ita autem ille hanc ipſam inchoat Odam:

Quelle docte & ſainte yvreſſe
Aujourd'hui me fait la loy?
Chaſtes Nymphes du Permeſſe,
N'eſt-ce pas vous que je voy?
Accourez, Troupe ſçavante:
Des ſons, que ma Lyre enfante,
Ces arbres ſont rejoüis.
Marquez-en bien la cadence;
Et vous, vents, faites ſilence:
Je vais parler de Louis.

Ego autem, ad illius exemplum, in hunc illam meam exorſus ſum modum:

Adeſte, Muſae: Rege dignum maximo
Dictate nunc carmen mihi.
Tradit Namurcum maximo ſeſe Duci,
Victasque dat Regi manus.
Silete, venti; vosque, vates Gallici;
Dum facta Guilielmi cano.

Quid

Quid in eo peccatum eſt? quod allocutus ſim Musas? faciunt id omnes Poëtae. Quod ad illius id imitationem fecerim? Volui facere, & ſtudio feci: ut in re ſimili ſimile propemodum eſſet utriuſque carmen. Quae in eo culpa? quae non laus potius mihi debetur, & gratia; qui famam ac gloriam, & Regis ſimul & gentis, iſto meo verſu ſum auſus defendere? qui Odam Odae, vatem vati opponere, & monſtrare ſuſtinui gentibus, ac praeſertim Gallis, non omnes omnino Poëtas, qui vivunt in Hollandia hodie, *Cajos* eſſe *Valerios*. Oda vero ipſa, quam vellicat ac mordet *Valerius*, ne quid de meis ipſe verſibus praedicem, talis atque iſtiusmodi eſt, ut non multo fortaſſe ſit illâ ipsâ inferior Gallicanâ. Conferat utramque, qui volet. Talem certe eam mei credebant amici, non *Valerii*, ſed boni, & meliores *Valerio* judices, ut vix aliud a me putarent conſcriptum eſſe carmen praeſtantius. Dithyrambicus certe iſte, qui in Odis requiritur, ſpiritus, uti adeſt in carmine Gallico, ita non abeſſe videtur a meo. Quem cum non habeat, nec habiturus ſit unquam, *Valerius*, non niſi maligno eundem illum in aliis intueri oculo poteſt. Carpit interim ſemper, ac vellicat aliquid, &, ſi virtutes non capit, vitia ſane intelligit optime, ut ex hoc ipſo manifeſtum eſt loco.

XIII. *Nec non & idem* &c.) Ejusdem farinae eſt, quod hic rurſum adfert *Valerius*, & ejuſdem etiam fidei, hoc eſt malae. Ter enim repetit illud *nec non & idem*, quod ſemel tantummodo eſt à me dictum, in epigrammate illo meo ſecundo in *Battum Oratorem & Poetam*:

Peſſimus Orator, nec non & peſſimus idem
Noſtri Poeta ſaeculi.

Quid in eo carpit? nam non intelligo an illud *nec non*; quod centies apud Virgilium, & ſcriptores alios bonos? an *nec non idem?* an *nec non &*; quod *nec non* & τὸ & unum & idem ſint? an illa omnia conjunctim, *nec non & idem?* Vide, Lector, in quantis ſe minutiis occupatum teneat, & Criticum illud acumen ſuum exerceat Heros noſter. Hae ſunt *Interiores* illae ac *reconditae litterae*. Primùm, non dixi, *nec non & idem*, ſed *nec non & peſſimus idem* &c. una vocula interpoſita, & quidem triſyllaba, quo tollitur, ſi quid in his forte verbis κακόφωνον. Deinde τὸ *nec non*, quod pro *et* ponitur, ſignificat hic particulam iſtam copulativam: illud vero &, quod ſequitur, pro *etiam* ſumitur, nec ullo modo copulativa particula eſt: illud autem *idem*, non video, quem offendere poſſit. Hic itaque ſimpliciſſimus horum verborum eſt ſenſus: *Battus, qui peſſimus hujus ſaeculi Orator, & qui idem etiam peſſimus hujus ſaeculi Poëta eſt* &c. Quid in his non analogum? non rectum? aut ullo *Valerii* ſibilo dignum? ſed hae tricae ſunt Grammaticales, ac *Valerianae*, &, ut ait ille,

Gerrae Germanae, atque Edepol lyrae, lyrae.

Quoniam tamen auctoritate ſemper pugnat *Valerius*, nec ullum ſine ea admiſſurus eſt verbum, en ſimilem e Juſtino locum Lib. VI. cap. 3. *Interim Piſandrus ab Ageſilao proficiſcente dux Patriae relictus, ingentem claſſem ſummis viribus inſtruit, fortunam belli tentaturus. Nec non & Conon tunc primum cum hoſtium exercitu concurſurus, magna cura ordinat ſuos.* Virg. I. Æneïd. *Nec non & Tyrii per limina laeta frequentes*
Convenere

Idem ibidem paullo poſt:

Nec

Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido longumque bibebat amorem.

Et pluribus aliis apud hunc & alios, locis.

Vides, Lector, quam multos, quam magnos, & quanti momenti in mea tum Oratione, tum meo illo Carmine, deprenderit errores *Valerius*. hi sunt isti, ut dixi, *levioris armaturae milites*, quorum ego inanes conatus & irritos, nisi mea me fallit opinio, meis abunde jam copiis retusos esse existimo. Venio ad *Triarios*; eò enim redacta jam res est; & ad quatuor illas, maximi, ut ille autumat, ponderis, ea qua potero brevitate, haec ego respondeo objectiones.

XIV. *Imperatricum tibi quis auctor est idoneus?* Carpit vocem *Imperatrix*, ut minus Latinam, *Valerius*; *quod barbarum plane*, & *Professori Eloquentiae ac Linguae Graecae turpissimum* esse *pronuntiat*; quasi quicquam huc faceret lingua Graeca: sed in Latino vocabulo suam linguae Graecae peritiam ostendere voluit Heros noster. Negat Caesarum uxores unquam ita vocatas fuisse. Quis id ait? at nunc ita vocari & possunt, & debent. Quomodo tu uxorem hodierni Caesaris appellares, *Valeri?* responde, quaeso, ex *reconditis litteris* tuis. Addit, *victricem classem, caussam* &c. dici; nunquam vero *victoris* uxorem *victricem* appellatam. De priore, quis dubitat? de posteriore, cui unquam in mentem venit? an *victor* nomen est dignitatis, sic ut ejus uxor *victrix* possit appellari? non analogum ergo exemplum est, nec adduci a *Valerio* debuit, aut cum hac voce componi. Quod vero subjungit, quasi eadem forma *Praetoris* ac *Dictatoris* uxor *Praetrix* & *Dictatrix* appellari possit, plane ineptum est, & *Valerio* dignum;

 bar-

barbara enim ista & Latinis auribus insueta vocabula sunt; cum τὸ *imperatrix* nomen sit bene Latinum, quod non minus ἀναλογικῶς ab *imperatore* formatur, quam ab *hortator hortatrix*, *auxiliator auxiliatrix*. Sic *imperatricem* vocavit *Italiam* Plinius lib. Hist. Natur. XXVI. 2. τὴν κοριδάνσαν, τὴν βασιλεύουσαν. At id nomen non est dignitatis. Scio. Sed Latinum est nomen, quod sufficit. Ostendat in *Praetrix* simile aliquid, aut *Dictatrix*, & vicerit Heros noster. Sic ad istum forte Plinii locum alludens dixit Dan. Heinsius de urbe Roma, *Domina rerum, imperatrix gentium, quo decidisti!* Bonum itaque & Latinum vocabulum est *imperatrix*; quod si dignitatis nomen non est, idem est certe, quod *imperans*, ut *Regina* idem quod *regens*: quo sensu *Imperatrices* potui appellare *Imperatorum* uxores, & hanc ipsam, credo, Reginam; nisi eam nunquam imperasse, aut ullum jus imperandi neget habuisse *Valerius*. Adde, quod, ut *Imperatores* Romani Graecis αὐτοκράτορες, κύριοι, & βασιλεῖς dicti sunt, ita illorum uxores iisdem illis αὐτοκρατορίδες, κύριαι, βασίλισσαι & βασιλίδες sunt appellatae. Quin ipsum Caesarum Romanorum Imperium βασιλεία dicitur. Quin & ipsae urbes βασιλίδες & αὐτοκρατορίδες nominabantur. Sic ΕΝ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ in antiquis marmoribus. Sic urbem Sepphorim Γαλιλαίας παντὸς αὐτοκρατορίδα appellat Josephus, ut illustris observat Spanhemius. Jam vero si urbes isto sunt nomine dictae, eodem illo dici non poterunt istarum urbium Dominae? ita *Julia Augusta* Philostrato dicitur Ἰουλία βασιλίς. Et quid aliud sunt, quaeso, aut fuerunt potius, *Imperatores* illi, quam *Reges*: eorum uxores, quam *Reginae*? In odio erat apud Romanos nomen Regium, ob ultimi Regis tyrannidem. Declinans hanc invidiam Caesar Julius, &

post

post illum caeteri, mitiore sunt usi vocabulo, & in libera Republ. usitato, ut sub alio nomine eandem potestatem exercerent Regiam, & plane δεσποτικήν. Amplius enim quiddam est & Augustius αὐτοκράτωρ, quam βασιλεὺς, & nullis legibus obnoxium notat imperium. ut autem viri βασιλεῖς & Reges, ita uxores βασίλισσαι, ut dixi, & *Reginae* etiam, dicebantur. Sic Statius Domitianum *Regem* appellat, Consulatu Domitiani.

Longamque tibi, Rex magne, juventam
Annuit, atque suos promittit Juppiter annos.

Quod familiare deinde, & commune paene factum est nomen. Claudian. de Maria Nupt. Honor. & Mar.

Magnorum soboles Regum, pariturаque Reges;

Ad imitationem illius Virgilii,

Dis genite, & geniture Deos.

Sic, *Romana quaedam Regina*, dixit Tertullianus in suo de Velandis Virginibus libro. Ut autem *imperatricem Italiam* Plinius; ita *imperatorem populum*, Romanum vocat populum Tacitus; *late regem* Virgilius. κοίρανον appellasset Homerus. Ut vero τὸ *regem* in hisce locis, τὸ *imperatorem*, & *imperatricem*, idem est, quod *regentem*, *imperantem* ac *dominantem*, ita τὸ *imperatrix*, idem quod *imperans*. Nisi forte non imperaverint istae *imperatrices*: aut de *Reginis* dicere non liceret, quod de populo dicitur, & de ipsa etiam terra. Atqui si non βασίλισσαι tantum, ut jam ostendi, & βασιλίδες, sed etiam αὐτοκρατορίδες appellatae fuerint Graecis, non video, cur Latinis, uti *Reginae*, ita non eaedem illae Caesarum conjuges, *Imperatrices* potuerint appellari. Nec dubito sane, quin & ita etiam fuerint appellatae. Certissimus ac validissimus istius mihi opinionis auctor est Cicero,

 qui,

qui, si genius linguae Latinae, aut ipsius id analogia vocabuli non pateretur, nunquam Clodiam *Imperatricem* appellasset. Ita autem is loquitur in Oratione pro Coelio cap. 28. *Praegestit animus jam videre, primum lautos juvenes, mulieris beatae ac nobilis familiares, deinde fortes viros, ab imperatrice in insidiis, atque in praesidio balnearum locatos.* Primum, vides Lector, Latinum esse vocabulum τὸ *imperatrix*, quod negabat *Valerius*; & aliud quiddam esse, quam *Praetrix*, aut *Dictatrix*: deinde, quiddam etiam aliud, quam *victrix*: denique, quod de τῷ *victrix* dici non potest, pro dignitate hoc loco sumi; quod item audacter negarat, pro more suo, *Valerius*. Ab *Imperatore* itaque *Imperatricem* format Tullius, & eo istam nomine Clodiam vocat, quae, *instar Imperatoris*, & *imperatorio officio fungens*, suos illos *fortes* & *invictos viros*, *muliebre bellum gerentes*, *in insidiis atque in praesidio balnearum locarat*. At per jocum id facit Cicero. Perinde est, serio id fiat, an joco, locutionem mutuatur à re militari, & à munere Imperatoris. quod cum obiret tum Clodia, merito, & bono ac Latino vocabulo, & posteris etiam saeculis imitando, *Imperatricem* illam appellat. Et dubitabit post ista quisquam, an Liviam, si in eum diem vixisset, *Imperatricem* vocare ausus fuisset M. Tullius Cicero, & hoc honoris eam vocabulo insignire, sincero ac serio animo? Ego & joco & serio id ipsum facturum fuisse existimo. Apparet itaque, Lector, quam *valens* ac *validus* sit Heros iste noster *Valerius*, quem non *Imperatorem* solummodo suo & vero nomine, sed & *Imperatricem*, Latino non minus vocabulo, appellare licebit in posterum. multo ego *valentiorem* istam fuisse Clodiam puto, quam hunc *validissi-*

lissimum, *valentissimumque Valerium.* ut autem *Imperatricem* hoc loco Clodiam, ita *adjutricem*, in superiore paullulum loco, *hospitalem* illam *Venerem* idem nominat Tullius. Eandem eodem in loco *Venerem* vocat *spoliatricem.* Ut ergo ab *adjutor adjutrix*; a *spoliator spoliatrix*, verbo minus usitato, ita ab *imperatore imperatrix* dicitur bona sane & Latina terminatione. Quae cum ita se habeant omnia, rogare tamen audet *Valerius*, *quis hujus mihi vocis sit auctor idoneus*: an *Thuscus* aliquis *Ludio*; an *Haruspex quispiam*; an vero *cognominis* ille mihi *Lombardus? quem enim alium fingere valuisse Latinitatem tam Barbaram & Lombardicam?* deinde se corrigit, & *Ortuino* eam *Gratio deberi* ait. Vide, quo pacto in omnibus, quae dicta sunt a me hactenus, non inscitiam solum suam & crassissimam *Ortuinitatem*, sed & malignum suum & invidum erga me animum prodat ubique *Valerius.*

XV. *Panthaea Cyri*) In hoc *facto*, ut vocat, *Historico* mire triumphat *Valerius.* Abradatae, Susorum regis, uxor erat Panthaea, quam bello contra Assyrios ceperat Cyrus. Erat autem & corporis & animi dotibus instructissima & ornatissima faemina, cujus virtutes mirum in modum deperibat Cyrus. Cum autem, Cyri jussu, venisset ad ipsum Abradates, in amicitiam eum interiorem recepit, & carissimam viro uxorem reddidit, de cujus ille pudicitia vix oculis quicquam delibaverat. Bello deinde cum Lydis orto, cum, a Panthaea ad bellum instructus, in mediam sese hostium aciem immersisset, ab Aegyptiis interfectus est Abradates. Ejus morti illacrymavit, ejus exequias donis & impensis Regiis curavit Cyrus. Mulierem vero ipsam bono esse animo jussit,

ſit, & ad amicum quendam fidelem, quem ipſa eligeret maxime, delaturum ſe, dixit. Verba ejus ſunt Cyropaedias lib. VII, pag. Editionis Leunclavianae Pariſienſis 185: Καὶ σὺ δὲ, ἔφη, οὐκ ἔρημος ἔσῃ, ἀλλ᾽ ἐγώ σε, καὶ σωφροσύνης ἕνεκα, καὶ πάσης ἀρετῆς, καὶ τἆλλα τιμήσω, καὶ συστήσω ὅστις ἀποκομιεῖ σε ὅποι ἂν αὐτὴ ἐθέλῃς.. Quid verba iſta ſignificant, niſi ſummam aeſtimationem virtutis, &, niſi fallor, alicujus item ſignum amoris: quem adhuc prodere non audebat Cyrus, recenti etiamnum vulnere. Credo itaque ego, & non levibus argumentis inducor, ut credam, amaſſe Panthaeam Cyrum, & poſt mortem ſui mariti, ubi cicatricem duxiſſet id vulnus, eam ipſum ſibi uxorem adjuncturum fuiſſe. Verba ipſa non levem ejus mihi rei ſuſpicionem injiciunt. Quid enim eſt illud, οὐκ ἔρημος ἔσῃ, non eris *deſerta*, *deſolata*, *ſola*, ὡς ἐν ἐρήμῳ. addit, & procedit ulterius, ἀλλ᾽ ἐγώ σε τιμήσω, *ego vero te honorabo*. Vides occultum amoris verbum? adjungit rationem illius ſui honoris & aeſtimationis, ne dicam amoris, σωφροσύνης ἕνεκα, *ob pudicitiam*, *ſanctitatem* & *integritatem*. Addit aliam rationem, καὶ πάσης ἀρετῆς, *& omnes illas tuas tum animi tum corporis dotes*. Poſtremò tertiam ſubjungit rationem, καὶ τἆλλα, *& aliis rebus te colam*, τιμήσω, *& comitem tibi fidelem aſſignabo* &c. Cujus rei iſta ſunt verba, niſi amoris, indicia? quid apertius illi dicere potuit in tam praeſenti dolore? quod aliud afferre ſolatium valuit? Amaſſe ergo ipſam videtur Cyrus, ſed amore caſto, Heroico, & tanto Principe non indigno. Eandem, ut primum ceperat, reſervari ſibi juſſerat Cyrus, Ταύτην ἐκέλευσεν ὁ Κῦρος διαφυλάττειν τὸν Ἀράσπην, addit Auctor, ἕως ἂν αὐτὸς λάβῃ, *donec eam ipſe ad ſe reciperet*. Ejus deinde pudicitiam ſanctiſſime conſervavit, & in ſummo ipſam honore

nore

nore habuit ac dignitate, οὔτε ὡς δούλην, οὔτε ὡς ἐλευθέραν, ἐν ἀτίμῳ ὀνόματι, ut ipſa apud Xenophontem confitetur Panthaea. Ejuſdem deinde morti indoluiſſe dicitur Cyrus, & largos lacrymarum imbres profudiſſe, ἀγαθείς τε τὴν γυναῖκα, καὶ κατολοφυράμενος. Ex hiſce abunde jam patet quanta in dignatione fuerit apud Cyrum Panthaea, quam ille poſt mortem mariti, ut multo ſit veroſimile, legitimam ſibi conjugem adſciturus fuiſſet. Haec utcunque pro cauſſa mea adducere videar poſſe, conjecturis tamen & ſuſpicionibus, quantumvis vero ſimillimis, uti nolo, & à mea me deceptum fuiſſe memoria ultro confiteor. Quid tum? an id nemini ante me accidit, ut ἁμάρτημα committeret μνημονικόν? Erroribus iſtiuſmodi plena ſunt auctorum omnium ſcripta. De cujus rei veritate ſi dubitas *Valeri*, inſpice Obſervationes tuas Hiſtoricas, ubi magnum eorum numerum annotaſti. Ego vero non erravi in re, ſed in nomine, alterum pro altero nominando: quod cui non accidit aliquando? Marcus ipſe Tullius Cicero quoties hunc pro illo Poëtam aut Philoſophum nominat? quod & in illo & in aliis pluribus oſtendi poſſet. Erravi hic itaque ego cum M. Tullio, & ſcriptoribus aliis omnibus: quem ego meum errorem ut non excuſo, ita leviculum puto; quid enim levius, quid venia dignius, quam circa nomen & perſonam labi? Hoc autem ipſum extollit & exaggerat Cenſor, ut magnum & enorme aliquod crimen, ut

— *grande nefas & morte piandum*,

in haec verba prorumpendo, & fluctus in ſimpulo excitando:

At gratianae Doctor Eloquentiae,
Seu Longobardae mavelis;

Historia quae te fovit? an spurcissima
Viterbiensis Annii?
Panthaea, Cyri an inde conjux est tibi?
Sic est: sues sic certe olent.

Vide, Lector, quantillum commiserim criminis: ob quod tamen ille me *Gratianae eloquentiae Doctorem*; & *Longobardicae* vocat, hoc est *Ortuinum Gratium*, & *Petrum Lombardum*; *suem* praeterea *olidam*. Ipse videlicet *catulus* est: & verum est vetus istud:

Aliter catuli olent, aliter sues.

Annium deinde Viterbiensem hominem appellat *spurcissimum*, e cujus me illud historia deprompsisse dicit. Mendacem esse, scio; *spurcissimum*, nescio. non audivi certe: nam abest ut legam istius farinae scriptores. *Cajis* eos relinquo *Valeriis*, qui omne genus librorum evolvunt, & ex omni sterquilinio Margaritas legunt.

XVI. *Mutuis viribus.*) Hic iterum exultat *Valerius*, & miras Tragoedias excitat, quasi nullo modo ferendum sit, si *mutuis* aliquid *viribus* dicatur actum, & *junctis viribus* dici oportuisse, id enim *Latinum* esse; *junctis Latini dicerent*: id est *Valerius* cum suis, qui Latinam soli linguam intelligunt. Multa enim habent *recondita* & *interiora*, quae caeteri ignorant mortales. Ex *interioribus* istis litterariis cellis depromptum est illud *junctis*, quod nemo hactenus scivit, praeter *Valerium*; quod ignoratura fuisset omnis Posteritas, nisi e *reconditis* suis *litteris* id nobis explicasset *Valerius*.

Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas.

Ego autem, praeter infinitos alios multos, hac ipse saepe usus sum voce, & in simili plane negotio, in illa mea, quae *Creta capta* inscribitur, Elegia, ubi ita Europam in Turcas incito: *Vi-*

Viribus i junctis sceleratam exscindere gentem.
Quod eo a me scriptum est tempore, cum illud adhuc secretum ignoraret fortasse *Valerius*. Quid, quod τὸ *juncti* praecesserat, nec denuo poni poterat. Quare pro illo *mutuis* posui; quorum ego verborum unum & eundem esse sensum affirmo. Vocem *mutuum* (quod a *mutuare*, *mutuo* vel *mutuum dare*) doctissimus Romanorum a Siculis (quorum insulam bello Punico Primo occuparant; quorum linguam callebant) sumpsisse Romanos, existimat; & à voce μοῖτος (quod χάριν exponit Hesychius) derivatam ac desumptam putat. Ab ἐμὸν vero & τεὸν, vel μὸν & τὸν, (quod Dorica Siculorum lingua idem quod σόν) Graecum hoc μοῖτον, & Latinum *Mutuum*, suam idem ille trahere originem autumat. Quanquam a mutuo potius μοῖτον, quam a μοῖτος *mutuum*, deductum nonnulli credant. Dicitur autem *Mutuum*, a *meum* & *tuum*, *quod*, ut loquitur Jurisconsultus, *de meo tuum fit*: nam, ut addit idem, *si non fiat tuum, non nascitur obligatio*. Unde alii, & rectius forte, a *mutando*, à *permutando*, τὸ *Mutuum*, appellatum putant: quomodo Graecis ἀπὸ τοῦ ἀμείβειν ἀμοιβαῖον dicitur. Sed eodem res redit, & ut ingeniosae sunt istae τοῦ μόιτου, & τοῦ *mutui* Etymologiae, ita &, si rem ipsam consideres, verae. Fit enim *de meo tuum*, *de tuo meum*, ubi *Mutuum* datur, ubi res *permutatur*, & ab uno ad alium transit: ea lege atque omine, ut tu illam mihi restituas; ego tibi: unde nascitur obligatio, & species Crediti. Est enim Crediti species *Mutuum*. In *Credito*, *rem eandem recipimus*: in *Mutuo*, *non recipimus eandem speciem*, *quam dedimus* (*alioquin Commodatum erit aut Depositum*) *sed idem genus*. *Si vero aliud genus recipiamus*, *non erit Mutuum*; ut apertis

ista omnia verbis docet nos ICtus l. 2. de Rebus Creditis. & apertioribus etiamnum verbis leg. 1. π. 2. de Obligat. & Actionibus. *Mutui datio consistit in his rebus, quae pondere, numero, mensurave constant. veluti, vino, oleo, frumento, pecunia numerata. Quas res in hoc damus, ut fiant accipientis; postea alias recepturi, ejusdem generis, & qualitatis. In genere* itaque restitui *Mutuum* debet, ut vere sit *Mutuum*, non in specie, id est tantundem, non idem; si enim *in specie* redderetur, vel *Commodatum* esset, vel *Depositum*, ut dixit Paullus; addo, vel *Pignus*, vel *Precarium*. Horum autem diversa natura est. In *Deposito*, res datur custodienda; in *Pignore*, possidenda: in *Commodato*, utenda ad certum tempus; in *Precario*, ad voluntatem & lubitum dantis. Proxime itaque ad *Commodatum* accedit *Mutuum*. Est enim *Commodatum*, *Mutuum* ad usum, ubi quis re commodata utitur, quam tamen ipsam restituere in specie debet: *Mutuum* vero est *Commodatum* ad abusum; res enim in specie perditur, quae deinde in genere redditur. Utrumque autem gratuitum est, in quo differt a foenore. Hinc *mutuo dare* & *foenori dare* inter se opponuntur. Quo sensu Plautus Asinaria 1, 3, ult.

Si mutuas non potero; certum est, sumam foenore.

Sic vere & eleganter Pedo Albinovanus vitam nobis mutuo datam, absque foenore, ait;

Vita data est utenda: data est sine foenore nobis
Mutua; nec certo persolvenda die.

Utendam itaque vitam accepimus, non abutendam: *sine foenore* eam accepimus, *mutuam, commodatam; certo* tamen *die*, & suo aliquando tempore, *persolvendam* ac restituendam, & Ei, qui dedit, reddendam. istum autem

vitae

vitae usum, *usuram vitae* vocat elegantissime M. Tullius, Tuscular. Quaest. lib. 1. c. 39. *Natura dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die.* Id est, vita nobis *Precario* data est, quam repetit Deus, cum vult, nullo certo definito tempore. Redeo in viam, & unde digressus fueram paullulum. Est itaque *Mutuum* proprie, quod alteri datur, sic ut ille rem istam, non quidem in specie, sed in genere tamen, reddere teneatur. Hinc Tropicae illae & figuratae a natura *Mutui* locutiones. Quo modo, *officiis mutuis commune commodum gubernari* dixit pro S. Roscio Cicero. Quae nempe alter alteri praestat. Idem 5. Fam. 2. *Mutuum in amicitia est, cum par voluntas accipitur & redditur.* Sic *mutua benevolentia, gratia*, apud eundem. Sic τὸ *mutuari* apud bonos scriptores, ut *mutuari verba, mutuari nomen, laudem, subtilitatem, consilium*, apud Ciceronem, & alios. Quae metaphorica tamen omnia, & *Mutuum* proprie non sunt, neque inter se reciprocantur, ut natura postulat *Mutui*. Sic cum Cicero dicit 2 Tusc. Quaest. 18. *A viris virtus nomen est mutuata*, an ibi, ut virtus a viro, ita vir a virtute, nomen adepta est? sic cum Livius dicit, *ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium*, an ibi, ut ab amore ille, ita ab illo amor, mutuum mutuatur consilium? quae cum ita se habeant, non video, cur mihi non liceat dicere, *mutuari vires* ab aliquo, aut *mutuis* aliquid *viribus* gestum esse, id est, conjunctis, quas alter ab altero mutuatur; quas alter alteri commodat. Quod si in oratione soluta rectum esset, quanto magis in versu; ubi non tam accurate, & minus interdum proprie loquuntur Poëtae. Sic *mutuari auxilia* VIII. de Bell. Gallic. dixit Caesar. an ibi, ut Caesar ab istis, sic

illi a Caesare mutuabantur auxilia? non puto. Si enim aliquid dare potuisset, nullum fuisset auxilium mutuatus Caesar. Sic *mutuas operas* dixit Terentius, Phormione 2, 1, 37:

— *tradunt operas mutuas.*

Ut autem Terentius *operas mutuas*, ita *convivia mutua* dixit Virgilius. Videamus locum primo Georgicorum versu 301; est enim insignis, & imprimis huc facit; ita autem ille:

Nudus ara, sere nudus, hiems ignava colono.
Frigoribus parto Agricolae plerumque fruuntur;
Mutuaque inter se laeti convivia curant.

An ibi de duobus est sermo? *agricolae* dicit Virgilius. an duos tantum fuisse existimas? aut de duobus Maronem agricolis loqui putas? Dicit isto loco Virgilius, aestivo tempore arandum esse, ac serendum; quod dixerat ante ipsum Hesiodus:

— γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν,

hieme nihil agi posse, sedere tum ad focum colonos, & parta consumere, ac *mutua* (Nota Lector!) *convivia* agitare, & genio indulgere. Quis de duobus illum rusticis loqui credat?. Ego de omni cohorte agricolarum eum loqui existimo. ἀμοιβαῖα ista convivia vocat Pindarus: ἀμοιβαίην φιλότητα Oppianus. ut ad istum locum observat la Cerda. *Mutua* ergo ista *convivia* sunt ἀμοιβαῖα, quae inter se habent coloni, cum una edunt, bibunt, ludunt, garriunt; cum *mutua* inter sese *colloquia* habent; qui ἀμοιβαῖοι λόγοι, ut ἀμοιβαῖα illa Pastorum Idyllia, quae inter plures saepe quam duos, ut e Virgilio & Theocrito patet; e Platone item & Luciano; e Tragoediis denique

nique & Comoediis omnibus. ἀμοιβαῖα autem & *mutua* omnia ista vocantur, *colloquia*, ubi sermo mutatur, & ab uno ad alium transit, ut inter amicos & sodales fieri amat. Hoc ergo modo isti agricolae in unum aliquem locum convenientes, ista inter sese convivia habuerunt. Nam quis credat nunc apud hunc, nunc apud illum eos fuisse, & ita sese mutuo *vocasse* ac *revocasse*, ut cum Phaedro loquar. Urbanorum hoc est & divitum hominum; non agricolarum & pauperum. Rustici ac Pastores, qui antiquum obtinent, nec facile mores mutant, fecerunt olim, quod hodie faciunt, & in communem, ut vocant, aliquem convenerunt locum; ubi genio indulgendo, unde *genialem* hoc ipso loco *hiemem* vocat Virgilius, compotando ac confabulando, brumales illos transigebant dies; ad quod ipsa eos *invitare* videbatur *hiems*.

Invitat genialis hiems, curasque resolvit.

συμπόσια ista & συσσίτια vocant Graeci: qualia Lacedaemone imprimis instituerat, Legislator Lacedaemoniorum, Lycurgus. Illa autem habebantur in publico, ut in omnium conspectu essent. Justinus 3, 3. *Convivari omnes publice jussit*, (Lycurgus sc. rationem addit) *ne cujus divitiae, vel luxuria, in occulto essent.* Qui quoniam una edebant, & unius erant mensae participes, σύσσιτοι & ὁμοτράπεζοι appellabantur. Apertius *mutua* ista Rusticorum *convivia* exponit Virgilius lib. Georgicorum II, 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur, & veteres ineunt proscenia ludi:
Praemiaque ingentes pagos, & compita circum

The-

Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.

Loquitur de Bacchanalibus, quae in Pagis & Compitis celebrabant Athenienses, potando & saltando. Nunquid *mutua* erant *convivia*, quae celebrabant Athenienses universim omnes? nunquid *publica*, quae in *Pagis* & *Compitis?* in ipsis *pratis?* Jam autem, ut *mutua convivia* dixit Virgilius, *mutuas operas*, Terentius; cur mihi non liceat dicere, *mutuas vires?* an *mutuari vires*, minus Latinum est, quam *mutuari auxilia?* An nos milites istos non accepimus, non mutuati sumus a Confoederatis? illi mutuant, nos mutuamur. mutuat enim, qui dat; mutuatur, qui accipit. Illi nobis dant milites; nos eosdem milites reddimus; aut tantundem pro iis pecuniae: ut hic locum habeat illud Plauti:

— *Par pari, opera pro pecunia.*

Praeterea non omnes isti milites simul pugnant. Nunc Britanni & Hispani; nunc Germani rursum & Belgae; excipiunt sese mutuo, stationibus permutatis, & suis singuli vicibus in hostica impetum opera faciunt. Nunquid *vires* istae sunt *mutuae*? nunquid vere, & verius quam apud Terentium, *operas* isti sibi *mutuas tradunt?* Deinde, qui simul urbem adoriuntur, an non *mutuam* sibi *operam* praestant, & alter adjuvat alterum? an non manum sibi *commodant*, & *conjunctis*, *mutuis* ac *mutuatis* à se invicem *viribus* rem eandem efficiunt? eandem urbem expugnant? Sed ipsum carmen, & sensum carminis videamus. Ita autem mea se habent verba:

Gaude hac opima, Rex Britanne, laurea,
Qua clarior nulli data est.

Gau-

Gaudete, tantae magna pars adoreae,
Mavorte juncti Principes.
Vestris (nec illud Rex negat) vestris simul
Debetur illa dexteris.
Praeivit ille, vos secuti, mutuis
Cepistis urbem viribus.

Non video, quid in his minus rectum sit verbis. Rex Britanniae, & Dux Bavariae, ut & reliqui Principes, mutuo nobiscum amore, mutuo etiam foedere juncti, communibus, conjunctis, ac *mutuis viribus*, Gallum oppugnant, Namurcum capiunt, & *operas* sibi *mutuas tradunt*, praestant, navant. Quid in his non analogum? quid barbarum, aut minus Latinum? Tò *mutuum*, inquit Censor, non nisi de duobus dicitur, nunquam vero, de eo, *quod pariter à duobus fit contra tertium.* Primùm nego quod hic ultimo loco ponit. Videatur Terentii locus, ubi duo adolescentuli, Phaedria nempe & Antipho, *operas* sibi *mutuas tradunt*, id est se mutuo adjuvant, ut Demiphonem senem fallant, ludant, emungant. Vides tertium? ut autem illi unum & eundem senem, ita hi hostem oppugnant, & *mutuis* eum *operis*, *mutuis viribus* adoriuntur. Deinde, quid intelligit Censor per *duos*, cum τὸ *Mutuum*, non nisi *de duobus*, dici affirmat; homines, rogo, an populos? Nunquid recte diceretur hodie Britannos & Belgas in mutua nunc amicitia vivere? amare se mutuo & adjuvare, mutuisque communem hostem viribus aggredi? idem, credo, de Germaniae Principibus, & reliquis foederatis dici & potest & debet. Imprimis vero de Bavariae Duce, qui *mutuis* laboribus, operis, *viribus* augustissimum Britanniarum Regem in oppugnatione Namurcensi adjuvit, & *illius ipsius pars magna victoriae* fuit. Sed quidvis carpit *Valerius*. Nihil

illi sanctum & integrum,

Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat:
Et, ut putetur sapere, coelum vituperet.

XVII. *Testisque nostrae (quis putet?) victoriae* &c.] Hic vero mirum in modum τραγῳδιᾷ ὁ ῥήτωρ. *Omnia jam commove sacra*, inquit, *& manibus pedibusque annitere, ut purges inscitiae & fatuitatis haec tua.* Deinde aliam plane verborum meorum interpretationem subjicit, quam mihi unquam in mentem venit, aut ex istis etiam verbis elici à quoquam possit. Fatuum esse me penitus oporteret, & eo magis fatuum ipso, qui me *fatuum* vocat, ac *productissimam* meam, ut loquitur, *fatuitatem* apparere hîc loci putat, si hostes hic verbis laudare, nostrorum imminuere gloriam, voluissem; quod a me factum existimat & affirmat *Cajus*. Quorum verborum sensus ut recte intelligi possit totus huc transferendus, & altius aliquantulum repetendus est locus. Ita autem ille se habet.

At tu superba Rege Magno Gallia,
Quid mentis aut sensus tibi?
De Rege quid nunc judicas Britannico?
Num miles, & bello bonus?
Quin nunc superbis, & triumphas, insolens,
Odamque conscribis novam,
Capta Namurco, Regis & nomen tui
Ad alta tollis sidera?
Mutavit aequus ordinem rerum Deus,
Versaque nunc illam vice
Cepit Gulielmus, Ludovicus perdidit;
Bonaque perdidit fide.
Defendit arcem, qua valet, Bouflerius:
Dat terga Villeroïus,

Cen-

Centumque mille militum armatam manum
Re ducit infecta domum.
O mira belli fata; & incertam aleam!
Spectator est certaminis;
Testisque nostrae (quis putet?) victoriae,
Ut nos eramus illius.

Quid in his verbis est, quod quenquam possit offendere? ajo; *ordinem rerum immutatum esse;* Regem *Gulielmum urbem cepisse*, *Ludovicum perdidisse*; & quidem *bona fide*; sicut vix eam recuperaturus videatur. an hoc est in laudem hostium? Rem extendo, & victoriam nostrorum extollo, dicendo; *Boufferium artem, quantum* & *quamdiu valuit, defendisse*; *Villeroïum* vero *recessisse*, & cum *centum mille hominum armata manu*, nihil aliud egisse, quam quod *spectator certaminis*, & *testis victoriae* fuerit. Quid in his absurdi? quid in gloriam hostium, ut ait *Valerius*, & in nostrae gentis ignominiam a me dictum? quid non contra in maximam nostrae gentis gloriam potius, & summum hostium dedecus: qui cum tanta hominum multitudine *spectatores* tantum fuerunt & *testes* hujus obsidionis? Nunquid res ipsa omnium stuporem meretur & admirationem? nunquid merito omnes mecum exclament, *quis putet*? Quis enim id credidisset, putasset? nemo, credo, mortalium. Urbem istam invictam credebant hostes; talem etiam esse passim praedicabant, jactabant, neque à quoquam unquam capi posse existimabant: nedum ut armato inspectante exercitu hanc sibi praedam de manibus ereptam iri unquam sibi fuerint imaginati. Rem arduam sese aggredi probe animadvertebat Augustissimus noster Imperator, & cum Eo omnes: nemo vero, ne Rex quidem, tam luculentam, tam plenam, sibi victoriam

 pol-

pollicitus fuerat; qua nihil omnino illustrius aut ad famam Regis, aut ad foederatorum Principum laudem, potuit nobis obvenire. Quid enim praeclarius, quam urbem & arcem munitissimam capere, ante oculos hostium, & tot mille hominum armatorum exercitum? an sine admiratione & exclamatione res tanta potuit praeteriri? illud vero meum, *quis putet*, malo, ut solet, & maligno animo, cum sequentibus, & voce *victoriae* conjungit Censor, quasi ego dixissem: *quis unquam putasset, nos istam urbem capturos, istam victoriam reportaturos fuisse?* cum praecedentia mea ista respiciant verba & ad τὸ *spectator* & *testis* referri debeant, hoc sensu: *quis credat, quis putet, hostem unquam hujus certaminis spectatorem, hujus victoriae testem futurum fuisse?* Provoco ad omnes qui haec legent, an alius ex his verbis elici sensus possit. Quod vero culpat imprudenter me addidisse,

Ut nos eramus illius,

Id ego recte a me factum existimo, & quàm maxime in ipsius Regis & gentis nostrae gloriam puto. Si enim id tacuissem, statim quivis mihi objecisset, idem nos fecisse, ante triennium & nos certaminis spectatores, & Gallicae victoriae testes fuisse. quam ego objectionem diluo omnem, rem aperte, quae negari non poterat, confitendo. Et sane si id tum nobis laudi non fuit; si rem istam satis insolenter nostri nobis adversarii exprobrarunt; quis illis nunc gloriae futurum putet, eandem eos urbem amisisse? an, quicquid istud est ignominiae, majore cum laude & gloria potuit aboleri, quam per tam insignem victoriam? an magis aut ipsum Regem, aut gentem nostram, & foederatos reliquos omnes, laudare aut extollere potui, quam si dicerem,

par

par pari eos retulisse? captam urbem recepisse? idque duplo majore hominum numero impedire Gallos non potuisse? Hic vero exclamat homo acutus, me *hostile dedecus, quantum in me est, minuere, propemodum funditus tollere, in eorum gloriam convertere.* Rogo unumquemque, qui *communis sensus haud expers*, an e meis hoc verbis colligi possit. Dico, priorum annorum nos ignominiam, si qua fuerit, abunde hac victoria compensasse; eandem urbem recepisse; &, uti nos ante triennium cum quinquaginta mille hominum exercitu spectatores istius certaminis fuimus, nunc idem fecisse Gallos, cum centum mille hominum, & quod excurrit, armata manu. In cujus hoc laudem est? hostium, quaeso, an nostram? Res in aperto est, & quivis, quod res est, videt. Illud vero non omittendum videtur, quod hanc meam culpam, ut ille existimat, *Ingenii inscitiam* vocet. Ego, si quid a me peccatum hic esset, judicii fuisse peccatum crederem, non ingenii; quid enim huc facit ingenium? sed melius haec intelligit *Cajus Valerius*, homo ingeniosus, & singulari acumine ingenii praeditus,

Cui anima pro sale data est, ne putresceret.

Quam vero hic idem *Valerius* ingenii sui, an judicii, nescio enim quomodo dicere debeam, luculentum in Oratione sua nupera dederit testimonium, quaeso mecum animadverte; qui Regis caussam tam strenue egerit contra Principem Walliae, & aliquot integras paginas ista defensione impleverit, qua de re nullum omnino verbum oportuerat fieri; quod ego sane soloecismum putassem Politicum. Admonitus postea à viro ejusdem urbis amplissimo, ne istam orationis ederet partem, multo se sapientiorem putavit, & integrum illum, nequid tam bonae frugis periret, imprimi locum jussit. Scilicet

Talibus auxiliis & defensoribus istis,
Tempus eget.

XVIII. Dicit in Iämbo suo ultimo Censor, ne quid criminis praetermittam, me dicere *artibus captam* a Gallo *Namurcum*, & tamen *fortiter captam*; *haec simul* mihi *vera* esse. Quasi id esse non posset. An Urbs auro capi non potuit; Arx virtute; cujus munitissimam partem satis strenue tum defendit fortissimus Dux Coehornius? Ipsa vide verba, Lector, & planum verborum sensum. Illa autem sub finem Odae ita se habent:

Sed, eloquenti vera si credis mihi,
Et scire, quod res est, cupis:
Dicam, quod ipsa non negabit Gallia;
Quod ipse Rex vester probet.
Princeps Namurcum fortiter cepit tuus:
Noster recepit fortius.

Quomodo haec inter se pugnant? quo pacto gloriam Augustissimi Regis Britannici & fortitudinem bellicam in majus extollere potui, quam Gallici Regis fortitudini praeferendo? & hanc nostram victoriam supra illam hostium extollendo? Id certe ipsi non negaturi sunt Galli, urbem ipsam multo nunc munitiorem fuisse, quam fuerat ante triennium. Quod si est verum, uti verissimum, quis mecum non fateatur (ipsos hostes appello) longe majore cum laude & gloria receptam à Rege Gulielmo nunc urbem, quam tum a Rege capta fuerat Ludovico? Quid, quod hoc illis indulgeo & gratificor quasi, ex ipsorum sententia confitendo,

Princeps Namurcum fortiter cepit tuus:

Ut illi mihi vicissim concedant, quod multo est majus & gloriosius,

Noster recepit fortius.

Quae

Quae si nondum sufficiunt, legantur haec verba cum interrogatione,

Princeps Namurcum fortiter cepit tuus?

Hoc sensu: si Princeps vester, uti vos dicitis, fortiter hanc urbem cepit; nunquid fateri debetis, multo nunc eam fortius à Nostro esse receptam? Hanc autem contradictionem, quae plane nulla est, tanti esse ponderis autumat Censor, ut dirissimis me propterea verbis exagitet; & *morbidum* ac *stolidum pecus*, *fatuum* ac *soloecum*, *Morionem* denique *insulsissimum* vocet, & *pectus* hoc *insanabile in Morboniam mitti* jubeat. Vides, Lector, consueta & familiaria *Valerio* verba, qui nullam usquam occasionem praetermittit, quidvis effutiendi, & malum suum ac malignum ubique animum declarandi, dum adversario suo aliquam notam inurere, aut ullam ei conflare invidiam queat.

Haec sunt illa Majora & Minora vitia, quae in mea tum Oda tum Oratione deprenderat *Cajus Valerius*: hae illae sunt *Animadversiones, quibus alios aliquid tribuere* mihi non ignotum esse affirmat. Qui isti sint *aliqui* nescio, nec scire volo. Id sane ego, nec praeter verum fortasse, affirmare me posse existimo, non tam multos futuros inposterum, qui tantum illis tribuent ponderis; ubi me non tam *barbarum* ac *soloecum*, quam imaginati sibi fuerant, animadvertent. Ostendi enim, ni fallor, hac secunda Epistola, non esse *barbarismos*, quos ut *barbarismos* traduxerat, & verbis suis amarissimis omnium risui & ludibrio exposuerat Censor, qui plane nodum in scirpo quaesivit, & e musca Elephantum fecit. Quid autem aliud egit hac sua Censura, nisi ut suam ipse inscitiam & ignorantiam fecerit manifestam; qui dum me atro carbone notare voluit, suam ipse famam

com-

commaculavit? qui, dum me *Barbarum* vocat, suam ipse *Barbariem* prodit. Si enim *Barbara* ac parum Latina sunt verba, quae in me reprehendit, ego esse *Barbarus* debeo: si vero *Latina* sunt ista, & bonorum scriptorum exemplis, ut ostendisse me autumo, comprobata, *Cajus* pro me *Valerius Barbarus* est appellandus. Qui si me *Barbarum* nihilominus vocari debere contendat; neque hanc a me notam amovere *Barbariae* valeam; laetor sane ego & gaudeo, eo etiam ipso, qui me *Barbarum* nominat, minus me *Barbarum* esse. Lingua enim *Barbarum* esse praestat, quam moribus. Eos vero adeo *Barbaros* habet & rusticanos, ut cum porcis & suibus, cum feris & belluis, belluinam hactenus vitam vixisse *Valerium* putes. Quis ulla eum studia attigisse? quis artes ingenuas imbibisse? quis humaniores litteras didicisse inhumanum hunc hominem credat? *Mollioribus* sane, nec tam *feris moribus* esset, si artes istas *ingenuas* & humaniores *fideliter didicisset*, qui sua nunc omnes *Barbarie*, ipsos etiam *Barbaros*, antevertit. Sed valeant isti mores, & cum moribus istis *Valerius;* valeant ipsa itidem studia, & quidquid est litterarum, si nihil inde aliud discitur. Ego certe non alium nobis in finem datas esse litteras puto, quam ut, non tam sermonis istam, quam morum, *Barbariem* exuamus, & indoctis atque illiteratis hominibus moratiores paullulum simus. Omnes vero mordere; omnes allatrare; convitiis unumquemque proscindere, & collectis e trivio verbis; non hominum est, sed belluarum. Facessant à nobis isti cum *Barbaris* suis moribus *Barbari*, & in terram sibi cognominem, in ultimam penitissimamque *Barbariem*, in remotissimum Ponti sinum,

Quaque viam fecit Thessala pinus, eant.

Tu vero salvebis, mi Lector, ac valebis, & secundum eum, qui minus tibi *Barbarus* esse videbitur, litem hanc litterariam dijudicabis.

F I N I S.

L. S.

NOndum te dimittere possum, amice Lector: paucis enim admonendus es verbis de harum Epistolarum impressione. Vides hic secundam Epistolam, multo priore illa correctiorem. Accidit enim mihi, quod canibus solet, qui dum festinant coecos pariunt catulos. Ita mihi plane evenit nimium properanti, ac primae editionem Epistolae urgenti, ut multi subterfugerint oculos meos naevi, quos pro tua, ut spero, humanitate corriges & emendabis. Fuit autem in priore illa peculiare quiddam, quod conjicere nemo poterit, nisi a me fuerit significatum. Cum enim trecenta imprimi jussissem exemplaria, neque istum sufficere numerum existimaret Typographus, petiit a me, ut plura sibi integrum esset praelo subjicere; quod cum illi indulsissem, complura addidit alia summa festimatione; & uno propemodum die maximam illius Epistolae partem profligavit, sic ut diversa admodum sint exemplaria ista, & multa his insint vitia, quae in aliis non inveniuntur. Solet enim hoc genus hominum negligentius esse, quam par est, & impressas saepe non melius legere litteras, quam manu exaratas. Quare & illorum culpa, & mea, (nolo enim ab omni me errore purgare, qui multis & variis isto sum tempore districtus negotiis) plures sane quam vellem,

 quam

quam crederem etiam, nisi repetita eos lectione deprehendissem, irrepserant errores. Omnes emendare difficile est, propter exemplarium, ut dixi, varietatem, quod enim in uno male, in altero recte se habet. Quamobrem praecipuos annotare sufficiet: reliquos minoris momenti unusquisque per se animadvertet.

IN PRIMA EPISTOLA.

Pag. 10 lin. 10 pro *uti* leg. *ubi*.
Pag. 12 lin. penult. pro *ligitiosus* leg. *litigiosus*.
Pag. 14 lin. 4. pro *hisciturum* leg. *hiscere ausurum*.
Pag. 15 lin. 7. leg. πολλάκις ἐξαρνεῖτο ἢ μὴ πείθεσθαι δύνατο: quomodo in 300 prioribus exemplaribus, quibus nomen Typographi non est additum, fuit impressum. Omiserunt totum Hexametrum, quod cum addere eos juberem, bis pro eo pentametrum posuerunt, summa, ut apparet, incuria.
Pag. 17. lin. Antepon. pro *ac proficuum* leg. *ad proficiendum*.
Pag. 19. Med. pro κικλήσελο leg. κικλήσκελο, ut prima Editio.
Ibid. sub fin. pro κεκίκλησκα & κίκλησκα leg. κεκίκληκα & κικληκα, quomodo prim. Edit.
Pag. 20. lin. 7. pro κίκλησκα leg. κικλησκον.
Ibid. lin. 11. pro κικλήσκατε leg. κικλήκατε,
Ibid. ead. lin. pro τετυφήκατε leg. τετύφατε.
Ibid. lin. 14. κικλήσκην leg. κικλησκόμην.
Ibid. lin. 16. pro *Indicativo* leg. *Indicativi* & κίκληκα.
Pag. 23. lin 11. pro *Imperativo Medio*, leg. *Activo*.
Pag. 25 vers. fin. pro *Tytheticum* leg. *Typotheticum*, ut Secund. Edit.
Pag. 28 vers. fin. pro *ex illam* leg. *en illam*, ut secund. Edit.
Pag. 29 vers. fin. pro *Potices* leg. *Poetices*, ut secund. Edit.
Pag. 36 sub fin. leg. *adjutasses*.
Pag. 37 Med. pro *quas dixeram* leg. *quae* ut secund. Edit.
Pag. 43 Med. pro *te dicturum* leg. *se dicturum*.
Pag, 50 Med. leg. *ita & recte*.
Pag. 53 fin. leg. *aliquantulum*.
Pag. 59 Med. leg. *vatem*.
Pag. 62 vers. fin.. pro *Auctorum* leg. *Auctorem*.

EPISTO-